PA 6661
.E8 H4
Copy 1

PA 6661
.E8 H4
Copy 1

Quaestiones criticae

in

L. Annaei Senecae

epistularum moralium

part. II.

scripsit

Aemilius Hermes.

823349

Prolusio programmatis gymnasii Meursani.

Meursae,

typis J. W. Spaarmanni.

PA6661
.E8H4

96-845439

Inter omnia L. Annaei Senecae scripta, quae nobis quidem hodie restant, primum facile locum tenere epistularum moralium libros ad Lucilium, quos satis uerisimile est compositos fuisse intra annos p. Chr. n. 62—65, inter uu. dd., qui Senecae operam dederunt, omnes constat. Ac scriptas quidem fuisse epistulas eo consilio, ut in publicum ederentur, uel ipsis Senecae uerbis colligi potest (ep. 21. 5) quibus aeternam Lucilio suo promittit gloriam harum epistularum beneficio. Probabile uero Haasio uidebatur non ab ipso in publicum emissas esse neque etiam plane paratas ad editionem relictas, sed editas ab alio idque ante Neronis mortem (cfr. praef. tom III. III.) Quod cum magnam prae se ferret probabilitatis speciem, cum aliis Haasius uu. dd., tum Teuffelio (Röm. Littgesch. p. 567) persuasit, neque ipsum protulisse Senecam in lucem publicam epistulas nec reliquisse perfectas et omnibus absolutas numeris. Sed nuper Bartschius dissertatione prorsus egregia (prolusio progr. Anclam. 1870.) accuratissime et luculentissime demonstrasse mihi uidetur, foedissime epistulas deprauatas quidem esse, haud raro interpolatas, saepius sententias in singulis male traiectas esse, sed quin ab ipso Seneca confectas putemus, non esse dubium. Maduigium quoque hanc Haasii sententiam minime

probare uideo (Adu. crit. II. 461). Epistularum uero corpus iam olim in tres diuisum fuisse partes uel inde intellegi potest, quod ex tanta codicum copia, si exceperis paucos inferioris aetatis, nullus hodie priora duo uolumina in unum coniecta exhibet. Ita fieri quoque poterat, ut tertium ex his uolumen, iam pridem periret. Primum autem uolumen, quod nulla est causa, cur discindas cum Fickerto (praef. tom I. pag. XVIII) in duas partes, ita ut omnino quattuor efficiantur uolumina, continebat epp. libros I-XIII., alterum libr. XIV-XX, tertium uero quot libros complexus fuerit, prorsus incertum est, cum nusquam eius mentio fiat, nisi apud Gellium, qui (N. A. XII. c. 2. cfr. Haasi ed. III. p. 441.) iudicia quaedam Senecae de Q. Ennio etc. ex „libr. XXII epp. moral. quas ad Lucilium composuit" deprompta nobis seruauit. Iam si omissis aliis ad secundum illud uolumen accedimus, cui emendando data hac occasione imprimis operam dabimus, paucis liceat praefari etiam post Haasium, Madvigium, alios cum de codicibus, a quibus omnis proficisci debet emendatio, tum de editionibus, quibus utimur. Haasius primus uerbis expressis (tom. III. praef. p. IX.) duos nobis extare codd. ceteris longe praestantiores, Bambergensem et Argentoratensem, rectissime statuit. Et Bambergensis quidem liber (B apud Fickertum) et Argentoratensis (Sa. a. F., quem A littera insignire liceat) noni saeculi uel decimi sunt. De Argentoratensi uero cum res esset incerta, quippe cuius discrepantes scripturas Schweighaeuserus primus huius codicis ope usus non satis diligenter enotauerit, Fickertus uero et Haasius paucis modo locis excerptas exhibuerint, omnis ad unum illum Bambergensem librum emendatio erat dirigenda. Quod eo magis dolendum erat, quod rectissime contra Haasium, qui non credebat esse multa, quae post collatum B ex A peti possent, demonstrasse uidebatur Bartschius (mus. rhen. uol. XXIV.) haud parui A auctoritatem esse aestimandam, quippe qui, etsi non nouas nobis suppeditaret lectiones, egregiam tamen libro B fidem adderet. Sed quoniam incredibili et prorsus inaudita eorum hominum incuria, qui bibliothecae Argentinensi

praeerant, nuper factum est, cum a Germanorum exercitu obsessa teneretur Argentinensium urbs, ut bibliotheca flammis correpta ad unum omnes ll. mss. deleti sint igne, desperandum quidem hodie esset de accurata A cod. collatione, nisi paullo ante Fr. Buechelerus libri scripturas discrepantes admirabili diligentia excerptas exemplo suo adscripsisset. Buechelerus autem, qua excellit ingenii liberalitate, A uariam lectionem, quatenus quidem comparet in ep. 95, quam emendandam uiri dd. mihi abhinc duos annos proposuerant, mecum communicare minime cunctatus est, nec non certiorem me fecit de natura codicis illius. Useneri uero, praeceptoris optimi, insigni in me benignitate cum factum esset, ut ipse Bonnae B cod. quam accuratissime fieri poterat excuterem, iam certius aliquid de codd. his optimis statuere posse mihi uideor, quae haec fere sunt. In utroque codice eiusdem fere aetatis legebantur olim epp. libri XIV — XX. Et B quidem integer hodie nobis extat, A uero cum primus membranarum fasciculus casu aliquo interierit, nunc incipit uerbis, quae leguntur ep. 90. 17: „nos magnis multisque conqui // renda artibus fecimus“ a quibus uerbis in B quaternio, qui appellatur, II initium capit. Singuli autem quaterniones prorsus inter se congruunt, ita ut in easdem semper litteras desinant; quin etiam folia et paginae plerumque concordant, ut singulis fere litteris sibi respondeant, ueluti, ut exemplo rem firmem, in quat. II hodie et initia foliorum paginarumque et exitus eidem sint exceptis duobus: fol. 3^b 4^a (ep. 90. 32) ubi A exhibet: alliga // rentur, B: alligarent' // sed ex corr., cum olim et in B alliga // rent' scriptum esset; fol. 7^a 7^b (ep. 91. 4) A: cogitandumque // B: cogitand ////// praebet, syllaba „dum“ erasa in extrema paginae parte. Itaque fieri non poterat, quin uiris doctis A et B ex eodem cod. archetypo fluxisse uideretur. Sed cum uterque et eandem fere seruet scribendi rationem, ita ut Haasius eadem manu scriptum esse utrumque coniceret (praef. tom III. p. IX.) et ubique AB, quantum quidem colligere licet ex uaria lectione, quam nobis praebent in ep. 95. mirum in modum etiam iis locis

haud paucis, quibus menda irrepserint, consentiant, mihi quidem accurate rem perpendenti non omnibus probabilitatis numeris destitutum est uisum A non ex communi quodam cum B fonte, sed ex ipso B esse exscriptum. Certe nihil inueni tota hac ep. quod obstet huic meae sententiae. Descriptum autem esse A ex B tum demum apparet, cum iam ab alia manu codex ille pertractatus et haud raro correctus erat. Itaque meliores quidem scripturas A saepius praebet quam B a prima manu, quae res olim me in errorem induxerat, optimum omnium esse A librum. Sed uiro doctissimo, quem adii de hac quaestione, Buechelero dico, persuadere non potui A ex B cod. fluxisse. Sententiam uero uiri egregii probare non possum AB codices esse gemellos mirum in modum inter se congruentes, cum nullum mihi quidem in tanta ll. mss. copia exemplum innotuerit, quo confirmetur huiusmodi opinio. Certis sane argumentis nunc quidem res non potest diiudicari, quoniam tota cod. A collatio publici iuris nondum facta sit, sed sperandum est Buechelerum quanto ocius discrepantes libri illius scripturas in publicam lucem editurum esse, quo facto certius fortasse aliquid statuere licebit. Hoc uero rectissime Haasius (praef. III. IX) statuisse mihi uidetur, exiguam esse spem fore ut aliquando grauiora uitia, quae iam saec IX. insedissent, librorum ope tolli possent. Supellectilem autem criticam imprimis ex AB petitam nondum ea qua par est diligentia adhibitam esse non minus recte monuisse u. d. noua illa B conlatione equidem intellexi. Quod enim attinet ad editiones, si excipimus ueteres Mureti, Lipsii, Gronouii aliorum recensiones, quae sufficere nobis minime possunt, cum uiri illi ceterum optime de Seneca eiusque scriptis meriti libris mss. sint usi deterioribus et interpolatis, nostra aetate duae in lucem prodierunt editiones, Fickerti et Haasii, quarum sua cuique laus est. Et Fickertus quidem, quamquam in apparatu, quem adiecit critico, omnes fere etiam nullius pretii codices incredibili quadam diligentia excussit, nulla tamen arte critica adhibita temere et clausis quasi oculis codicum auctoritatem secutus talem repraе-

sentat criticum, qualem Gronouius lepidissime depingit in praef. illa egregia ad praeclaras in L. et M. Annaeos Senecas notas, ubi de uariis criticorum generibus ea qua solet suauitate disserit (pag. 13 sq.) „timidus et satis putans commentariorum congerere farraginem atque ex eo captare laudem, si contextum, qualem acceperat, interpretatione aliqua probabilem reddat, adeo mss. haeret mancipatus, ut ingenio et coniciendi fortunae omne adimat ius.“ Mole autem illa quam adstruxit, quin magis a studio Senecae operum uiros doctos deterruerit, quam allexerit, dubitari uix potest. Deinde fieri non poterat, quin in tanta apparatus critici farragine et tanta signorum peculiarium turba haud raro quae optimi codd. praebent perperam enotarentur uel confunderentur cum iis, quae leguntur in aliis libris simili in commentariis nota insignitis (ueluti ex. gr. saepius R. i. e. Rehdigeranus cum B confundi uidetur), ita ut in unaquaque pagina deprehenderim plura a Fickerto perperam uel omnino non enotata. Haasius uero, qui haud ita multo post Fickertum nouam Senecae librorum recensionem instaurauit, etsi non nouis libr. mss. subsidiis instructus est, tamen longe saniore praeditus iudicio multa tralaticiae scripturae uitia feliciter sustulit. Licet autem u. d. non caeca libr. ueneratione captus Senecae libris in uniuersum saluberrimum nauauerit studium, tamen saepius aberrauit a uero et ad libros deteriores inclinans et illo quas sibi finxerat lacunas supplendi artificio male abusus. (cfr. etiam Maduig. adu. crit. II. 424.) Itaque mirandum sane non est, quod hodie quoque tam multa restant quae ut emendentur expectant. Prorsus uero egregie nuper cum M. Hauptius (indd. lect. acad. Berol. 1864. 66.) J. Bartschius (mus. rhen. XXIV.) de Seneca meruerunt, tum nouissimus Maduigius (adu. crit. II. 335 sq.) cuius ex manibus Senecam sexcentis locis felicissime emendatum alium quasi accepimus. Sed persuasum mihi est, in unoquoque Annaei libello recensendo denuo optimos codices esse excutiendos, quoniam Fickerto, quod B quidem attinet, fides non est habenda, licetque suspicari etiam in aliis ll. mss. testem eum non esse satis locupletem. Iam ut exemplo

quodam hanc meam sententiam probem simulque demonstrem, quibus ex causis mihi oborta sit coniectura, A cod. ex B deriuatum esse, iam subiungam uariam lectionem ep. 95 e codicibus his optimis excerptam. Secutus sum editionem Fickertianam.

A et B codd. uaria lectio quatenus comparet in Senecae ep. 95.

§. 1. *‚Epistula III'* haec desunt in AB. *‚Seneca Lucilio suo salutem'* haec rubro colore conspicua unum efficiunt uersum ut semper in AB. *representem AB. greci parencticen AB.* (nisi quod B *‚graeci'* exh.) *consumendam AB. cnixe B* p. m. *obnixe* s. m., *obnixe A. offerret B, obferret A.*

§. 2. *punienda est. mutendi f. BA. attulit AB. minutissimis* p. m. *B, minutissime B* s. m. A. *plictam AB. perlecta B* (corr. ex *perlicta) A. simultis AB. recita recita* p. m. *recitare recita* s. m. B. *recitare r. A.* (sed syll. *re* a. m. rec. deleta.) *ab iis AB. ommutescere AB. sed dii AB. epistulam* p. m. *B* (corr. in *epistolam*), *epistolam A. inuitus B [in]uitus A* (syll. *in* a manu recentiore sscr.)

§. 3. *nulla non arte B, nulla non artae A. discruciant B, discrutiant A. compotes AB.*

§. 4. *omisso B, omnisso A. adgre||diar B* (in litteras *adgre* desinit fol. 40a.), *adgre diar A.*

§. 5. *compositus AB. omnes exequi B (omnes* corr. ex *omnis), omnes exequi A. animoteonesta conarime AB.*

§. 6. *atque illud B* p. m., *atqui* ex *atque* corr. a man. rec., *atque illud A. praecipit B. summitte AB.*

§. 7. *potuerunt artifice uiuendi AB* (nisi quod B praebet *poterunt.) adhaec B* p. m., *athaec* s. m. *adhec A.*

§. 8. *excusatus* corr: *excusatius B, excusatus A. fecit AB. soloecis||||mo B (si* uidetur eras.) *quantum ad partem B* p. m. *q. a. artem* s. m. *ad* p. m. *at* s. m. *B. uiolentium* p. m. *uol.* s. m. B.

§. 9. *pleraque AB. liberatissimae AB. contemptiua* p. m. *contemplatiua* s. m. B. *dogmata AB. appellare B, apellare A. eometria* p. m., *geometria* s. m. B.

§. 10. *contemptiua* p. m. *contemplatiua* s. m. B. *opera AB. continuo* p. m. *contineo* s. m. B, *contineo A.*

§. 11. *caeli AB. pandem* p. m. *pandam* s. m. B., *pandam A. naturae re et AB. auctet* p. m. *aucitet* s. m. B, *aucitet A. lucrecius A. ut, cumtemplatiua A. omnis* p. m. *omnes* s. m. B., *omnes A. exequi AB.*

§. 14. *cum maxime AB. operiosiora* p. m. *operosiora* s. m. B, *operosiora A.*

§. 15. *uulnera AB.* (ut semper.) *ad ritandam* p. m. *ad inritandam* s. m. B. *ad inritandam A.*

§. 16. *diserantibus* p. m. *desiderantibus* s. m. B, *desiderantibus A. labentium AB. umor AB. uenten* p. m. *uenter* s. m. B, *uenter A. suffusio AB. uultus AB. corporum* extat sine uncis in AB.

§. 17. *uertigines* corr. ex *uergigines B. crebri exaestuantis* p. m. *cerebri ex* s. m. B, *celebri ex. A. impetu AB. horrore* corr. ex *horrere B. uenientium* corr. ex *uiuentium B.*

§. 18. *subplitia A. immunes* B, *inm.* A. *diliciis A. tollere uersantia AB. ferramentis* corr. ex *ferramentu B. pyxidibus* corr. ex *puxid. B.*

§. 19. *fercula* corr. ex *fericula B. permisceat* corr. ex *permiscat B. luxoria A. tam* deest in A, sed sscr. extat *ta* a. m. rec. *inconstans* corr. ex *instans B. in eundem* (ita et A.) *compulsa B.*

§. 20. *destituuntur* corr. ex *dist. B. sed uicta est AB.*

§. 21. *inuitis* corr. ex *inuitiis B. solacium sthomachi AB. impuditiciae A.*

§. 22. *mendatio* p. m. *mendacio* s. m. B., *mendatio A. sexus sui B. morbis* corr. ex *morbos A. antiqui* corr. ex *antiquis B. cadentes* corr. ex *cadentis B. sanginem B.*

*

§. 23. *essent* corr. ex *esset* ***B***. *uoluptatium* ***AB*** p. m., *uoluptatum* ***B*** rec. m. *concupitarum* corr. ex *concupitorum* ***B***. *cocos* ***AB***. *rhetorum* B p. m. *rethorum* s. m. *rethorum* ***A***.

§. 24. *contummeliae* ***A***. *exoletorum* p. m. *exsol.* s. m. B, *exsol.* ***A***. *discripta* p. m. *descr.* s. m. B, *descr.* ***A***. *leuitas* ***AB***. *taedem* p. m. *eadem* s. m. B, *eadem* ***A***. *coma* corr. ex *comas* ***B***. *caenam* ***AB***. *di boni///* (*i* ex *u* uidetur corr.) B.

§. 25. *iocineribus* ***AB***. *caeno* ***AB***. *practiosam* ***AB***. *falsa* p. m. *salsa* s. m. B. *falsa* ***A***.

§. 26. *ex ipso* ***AB***. *extingui* ***AB***. *quantam* ***A***.

§. 27. *echiini totam destructique* p. m. *echinis totam d.* s. m. *echinis torti destructique* m. rec. B. *echinis totam d.* ***A***. (sed *totam* uoci a. m. rec. superscr. *torti*.) *mulli* corr. ex *multi* ***B***. *piget esse iam* s. AB. *conguntur* p. m. *coguntur* s. m. B. *conguntur* ***A***. *saporisin caena fit quod* p. m. *saporisin caena fit quod* s. m. B, *saporisin caena fit quid* ***A***. *saturo* corr. ex *sat* ***B***. *expecto* ***AB***. *cocum* ***AB***. *graue est* corr. ex *grauest* ***B***.

§. 28. *eundem* ***AB***. *ueniant* (*a* ex *u* corr.) A. *istis* corr. ex *isti* ***B***. *////nihil intersit* ***A*** (ante *nihil* ras.) *ostriacchinis pondus limulli* p. m. *ostreacchinisponduslimulli* s. m. *spondyli* rec. m. B, *echinisponduli mulli* (a m. rec. an *s*?) A.

§. 29. */////mouentium* (ante *mou.* ras.) p. m. *uomentium* s. m. B. *mumentium* (*mu* a manu rec.) A. *peccantes* corr. ex *peccantis* ***B***. *curaremediabiles* A p. m. B. *cura mediabiles* A. s. m.

§. 30. *uindicetur* corr. ex *uindicatur* ***B***. *compescimus* ***AB***. *monstrosa* p. m. *monstruosa* s. m. BA.

§. 31. *uetata* ***AB***. *luerent tum quia* ***BA*** (sed in A *eadem* superscr. a. m. rec.) *putet* ***AB***. *quam parabatur accesserit* p. m. *quae p. accesserat* s. m. B. *quem p. accesserat* ***A***.

§. 32. *obiurgaret indulgentis m. e. petentis delicatorem* p. m. *obiurgare indulgentes m. e. petentes delicatiorem.* s. m. B. *pauilum* p. m. *paululum* s. m. B. *discescerat* ***A***. *turpest* p. m. *turpe est* s. m. B.

§. 33. *uulnera* ***AB***. *iis* p. m. *is* s. m. B. *solitu* ***A***. *reuelletur* ***A***.

§. 34. *potuerunt* A (sed prius *u* del.) *tenentur a uulnere* ***BA*** (sed in A *auellere* sscr. m. rec.) *mala* corr. ex *male* ***B***.

§. 35. *singulorum* BA (sed in A *signorum* sscr. m. rec.) *ceterae* AB. *fundamenta iacienda* /// B (sed *fu* in ras. et post *enda* ras. 2 litt.).

§. 36. *subtili* corr. ex *subtile* B. *ob secuntur* AB. *dii immortales* AB. *complexi* AB. *audiere* corr. ex *audire* B.

§. 37. *rapacia* corr. ex *rapaci* B. *et illis* AB. (in A *at* sscr. m. rec.) *optusis* AB. *robigo* AB. *effricanda* corr. ex *efficanda* B. *extraet* ***A***, sed *h* ab ead. m. sscr. *scilicet uideas* AB.

§. 38. *ad agros pigros* AB. (in A *alia* m. rec. sscr.) *prestare* AB. *hostiitibus* p. m. *hospitibus* s. m. B. *desuadendum* p. m. *desudendum* s. m. B. *desudendum* ***A*** (m. rec. corr. *desudandum*.) *usque ad sudorem* p. m. *usque sud.* s. m. **B**. *deliciae* corr. ex *delitiae* B.

§. 39. *paelicem* AB. *inpingit* corr. ex *inpinguit* B. *obstatura* AB.

§. 40. *at quam exigantur* AB. *cui redat* ***A***. *casus est* B, *casu est* ***A***. *prestabunt* (bis) et *prestant* B.

§. 41. *q̄m quidem* B, *quō quidem* ***A***. *quemadmodum* ***A*** (*u*. ex *o* corr.) *caena* AB. *equestrem cae nam* B ex corr., p. m. uidetur fuisse *cc nam* ; *nam* hodie deletum. *equ. caenam* A. (*ccnsum* sscr. m. rec.) *ganeoses* AB. *et docens tamen sestertio* B. (m. rec. *sestertios*) *et docens tamen sestertio* ***A*** (sed *tricies* sscr. a m. rec.) *cenae* AB. *frugalessimis* ***A***. (*e* in *i* corr.)

§. 42. *singula edatur* BA (sed in A superscr. m. rec. *si gulae datur*.) *reprensionem* AB. *sollemnis* AB. *mullum* corr. ex *mulum* B. *quatuor pondo* (*do* corr. ex *de*) B, *quattuor pondo* A. *aiebant* corr. ex *agebant* B. *tib̄ caesar* B, *tibus caesar* p. m. *tiberius caesar* m. rec. A. *ueniri* AB. (sed in utroque cod. *uenire* corr. a m. rec.) *mullum* corr. rec. m. ex *mallum* ***A***. *apitius* ***A***. *cóiectura* p. m. *coniectura* s. m. B. *liciti sunt* AB. (*licitati* B ab alia m.)

§. 43. post *quinque* m. rec. superscr. *millibus A. sestertius A. piscem quem* corr. ex *piscem quae B. apitius A. turpe non ille qui* p. m. *turpe nam ille qui* s. m. B., *turpe nam ille qui A. reprenderim B.*

§. 44. *at hoc* corr. ex *ad hoc B. expectat AB. honeste fient B* (sed a m. rec. *honesta* corr.) *ad||dixerimus AB* (in B fol. incipit 47 : *dixerimus.*) *iudicaremus* p. m. *iudicaueri-mus* s. m. (*ue* adscr. in fine lineae) B. *infigi* corr. ex *infidi B. ad totam pertinens B* (*ad* in ras.) *persuasio fuci it* corr. ex *p. fuit B. cogitabuntur* corr. ex *cogitabantur B. peri-cathecontos AB. dat* corr. ex *dati B. ad quem omne factum* corr. ex *adque omne f. B, at quem omnem* (*m* eras.) *f. A.*

§. 46. *illut, ut puto A. ac timido* corr. ex *actu modo B. accidet nobis eximuntur quae reppendunt. AB. detinent et preconarique AB.*

§. 47. *dii AB. solet praecipi* (t in ras.) B. *accendere* corr. ex *accedere B. prohibebamus AB. qm necIumine dii B, quo nec lumine dii A. dilectantur AB. uetemus B, uetamus A. huma*[na] *ambitio B, humana ambicio A. offitiis A. stringi-les AB* (*n* in B eras.) *ioui ferri AB. praesto* ex *praestu* B.

§. 48. *quemadmodum AB.* (*ad* in B exp.) *sacrifitiis A. molestiis superstitionibus AB* (*molestis* in B al. m. corr.) *beneficium* extat nullis uncis in AB. *dantem* omiss. AB. *nolle BA* (sed in A *uelle* m. rec. superscr.)

§. 50. *uniuersa ut sua BA* (in A *ui* superscr. m. rec.) *bonus esto* (*o* ex *u* corr.) A.

§. 51. *pa|reamus B* (post *pa* fol. incipit 45.) *pa recamus A. sanguini* corr. ex *sanguine B. est ei non* corr. ex *est et non B. praecipiemus et*[ut] *B.*

§. 52. *prestanda B. fortunam*[m l] *B. natura* (*n* ex *u* corr. ?) A.

§. 53. *composuit AB. sint iuuandis manus illi AB* (in

B leg. a m. rec. *sint ad iuuandum m. i.*) *in hore sit A. Ho*^{mo} *sum B.*

§. 54. *diuiciis A. ignomina A.*

§. 55. *uirtustes* (*s* in ras.) *trascamus A. prudentia A. estimemus A. complectamur AB. temperantiam amemus AB* om. *si uieri*^{f} *postest A. sed nil aget AB* (in A *set* scr. est.) *separatae* (—*te A.*) *aut innexae AB. differat A.*

§. 56. *fabracaquaerere A. omnes ista certesse B* p. m. *omnes ista certa esse B* s. m. *A. actio////* (1 litt. eras.) B. *ab hac* (*hac* corr. uidetur ex *haec*) *B.*

§. 57. *uoluptas*^{n} *B uolutas A. habitus A.* (*a* ex *u* corr.) *optimonistotius A. immutabile* (*a* ex *u* corr.) *A. reponuntur et intermissa AB.*

§. 58. *causarisque B.* (corr. m. rec. *causa huius*) *causarisque*^{u} *A. si uis* ex corr. *B. impia AB. dignitatis ualitudo AB. sagitas sensum B.* (*sagitas* corr. in *sanitas*) *sanitas sensu A.*

§. 59. *maxime AB. nescias AB. ista inter aestimantur B. per se*^{se} *uirere AB. sucum AB.*

§. 60. *superuacua* corr. ex *superuacuum B. hoc ipsum quo*^{d} *B. tamherculus A. recedendum a B* (*a* corr. ex *ad.*)

§. 61. *sunt decreta A. impletur AB.*

§. 62. *certarum persuasio AB* (sed *ar* postea del. in *B*). *sine qua si.*

§. 63. *incitet* omiss. in *A. in hoc odium moderetur AB. iustum est et honestum B* (sed *et* superscr.) *decretorum* corr. ex *decretorium B. neccessaria A.*

§. 64. *radices i*^{i}*s B. manus habeat AB. impetum AB. si//cut B* (fol. 50 incipit.), *si cut A. at praecepta* corr. ex *ad pr. B.*

§. 65. *ethi*^{m}*ologian B, ethimologian A. quam quare*

non dicere non audeamus A, quam quare non dicere non audamus B. sermones B. appellent AB.

§. 66. *ethologian BA* (sed uidetur prius *m* fuisse in *A.*) *caracterismon appellant AB. haec res eamdemu̅* (in fine lineae) *B. haec res eammu̅ A.*

§. 67. *qui intersit A. ut publicanorum* etc. deest parenthesis nota in *AB. iconismo AB. imitator* (*o* corr. ex *u*) *B, imitatur A. fallarisempturus eo operam B. fallari sempt eo o. A.*

§. 68. *permittit continuo peco ris A. increditor AB. ignotos esse AB. ponti AB.* (corr. m. rec. *ponto* in *B.*) *breues AB. dederunt AB. conlectumque B.* (*nl* ex *m? le* in ras.) *conectumque A.*

§. 69. *uergibus A. simihi cato* (sic; *m* litt. spatium relict.) *A. admotus AB. uultum AB. aliis* (*s.* in ras.) *A. caesareaneas* p. m. *caesareanas* s. m. *B. caesareanas A. pompeianas tibi fouentibus B* (*tibi* del. postea.) *A. rei. p. AB.*

§. 70. *uiros uicinosque AB. sedexperiatur AB* (*sed* in extr. parte fol. 51.) *uigoris ac* (*c* ex *s* corr.) *A. fiduciaest AB.*

§. 71. *gladiatorumque contemptus lilibet AB.* (sed in *B* alterum *li* del. est.) *constantiam A.* (sic!) *luxuriatatque B,* sed prius *at* del. *proderint AB* (sed *n* postea del.) *liniamenta AB* (sed *ni* a m. rec. corr. in *ne.*) *sed quales B, sed* del. m. alia. *uulnus AB.*

§. 72. *Laelii* corr. ex *Lacti B, lactitu A. lectos* corr. ex *lectus* a m. recentiore. *lectis A. haecdinasque A. cationibus AB. cena AB. o. quam AB.*

§. 73. *supellectile////* *B* in extr. parte fol. 51 b. lineolam transuersam in *e* add. al. m. *suppellectile A. miratus est* corr. ex *miseratus est* in AB. *in milliens AB* (sed *n* postea del.) *saeculis AB.* VALE. AB.

En, habes collationem diligenter enotatam. Iam, spero, uidebis, quibus ductus rationibus A cod. ex B. descriptum esse contenderim. Nam cum mira illa consensio inter Arg. libri

scripturam atque sec. Bamb. manum, tum ea, quae a correctore quodam nasuto e genuina haud dubie lectione Bamb. pr. m. deprauata, haud aliter in Arg. leguntur, ex. gr. § 1. *obnixe,* § 2. *recitare recita,* § 23. *rethorum* etc., coniecturam, quam proposui, firmant ac stabiliunt. Sed ut ingratae et parum suaui huic syllogae iucundius aliquid subiungamus, ad emendandam ep. accedamus atque eluendis operam demus maculis temporum inuria fraudeque librariorum aspersis ita quidem, ut et integritati linguae latinae et sententiae sanitati et consuetudini semper consulamus Annaeanae.

§ 2. ducibus libris scribendum mihi uidetur esse: ,,recitator historiam ingentem *attulit literis* minutissimis scriptam — ab *iis,* qui illum obmutescere *ilico* cupiunt.“ Iam Fickertus in adn. crit. *minutissimis* quamquam probat, in textum tamen recipere non est ausus. Sed cum in uerbis ita restitutis inusitate prorsus subintellegenda sit uox ,,litterae“, equidem adstipulari ei non possum. Nam et ap. Sen. ‚literae minutae‘ commerantur N. Q. I. 6. 5. ,,l. minutiores“ Ira II. 26. 1. et ap. Suetonium Cal. 41. ,,l. minutissimae“. Itaque librarium oculis aberrantem a priore ad alterum illud ,,lit“ uox illa fugisse uidetur. Iam cum substantinum intercidisset, necessario adiectiuum, quod non habebat quo referretur, mutatum est in aduerbium. Nam in Senecae codd. haud raro singulas syllabas et totas uoces omissas esse, recte iamdudum intellectum egregieque nuper a Maduigio multis locis probatum est. (cfr. adu. crit. I. p. 42.) Idem uitium latere puto in iis, quae leguntur ep. 109. 12 in. emendandumque conicio: ,,quaeritur enim an deliberaturus *solus* sit sapiens, an etc.“ ep. 68. 1. scribendum propono ,,nec ad omnem rempublicam mittimus *nos.*“ Clem. I. 13, 4. omissa uidetur in codd. syll. *uix* post *uis* corrigendumque ,,etiam iniquis *uix* acerbus.“ benef. II. 18. 6. *uitam* intercidisse post *inuito* ea quae secuntur satis luculenter demonstrant. Genuinum esse puto *„uitam* dat tyrannus crudelis etc.“ Mirandum uero est, quod usque ad hunc diem in edd. const. sap. II. 2. 3. foedissimo errore peruolgatur ,,quam totus orbis

in tres diuisus satiare non poterat.“ Semel monitus non dubitabis mecum rescribere „inter tres“ etc. Sed iam redeamus, unde digressi sumus. Male in edd. hodie legitur „his“ pro „iis“ quod codd. tuetur auctoritas. Saepissime sane in codd. Senecae „iis“ perperam in „his“ mutatum est; aspiratione nimirum ut saepius fit temere addita in uerbis a uocali incipientibus „hiis“ cum scriptum esset iam necessario inde „his“ effectum est. Eadem ratione, *h* scilicet littera perperam adiecta alius locus haud dubie corruptus est ep. 92. 18. „e contrario uilia sunt, quae saepe contingunt pleniora uilissimis, crus solidum et lacertus et dentes et horum sanitas firmitasque.“ Adiectiuum supplendum esse etiam ad uoces „lacertus“ et „dentes“ cum appareat, misere claudicant uerba illa adiecta „et horum sanitas firmitasque.“ Genuinum igitur puto esse „et *oculorum* sanitas f.“ Nam cum pro „oculorum“ exaratum esset „hoculorum“ id non potuit non emendari a librario male sedulo in ‚horum'. Iam quominus missum faciamus locum nostrum impedit quod cum in codd. tum in edd. hodieque legitur „qui illum obmutescere illic cupiunt.“ Equidem nullus dubito, quin acu rem tetigerit Erasmus (in ed. II.) eumque secutus Schweighaeuserus scribendumque duco *„ilico* cupiunt.“ Facillime intercidere potuisse *o* ante *c* uix est quod moneam.

„uerum ne dis quidem dicimus. sed dii etc.“ Cum alias B semper exhibeat „di“ et „dis“ apice saepius addito, et hoc loco „dii“ praebet et paullo infra § 36. 47 (bis), praeterea ep. 113. 14. Etiam pP codd. optimi in epp. parte priore semper monosyllabas nobis tradunt formas, nec minus in dialogis Mediolanensis ceterique codd. uetustiores. Haud scio an recte obseruauerim semel adnotari a Fickerto „deis“ [p P: ep. 10. 4.] semel „diis“ [A. breu. uit. XVII. 4.] Quae cum ita sint, mihi quidem, quamquam Fickertum in his rebus testem esse satis religiosum nego, admodum uerisimile est Senecam sibi constantem semper formis monosyllabis usum esse statuendumque est, his quoque locis tam paucis eum non re-

cessisse ab hac consuetudine. Largam sane disputandi materiam nobis praebet orthographia Senecae ad suas leges reuocanda. Sed cum a consilio nostro alienum sit his immorari rebus, hoc unum moneo orthographiam in B (et A) communem illam optimorum quorumque librorum similemque esse ei quam Vergili Medicaeus exhibeat. Congruere uero quod ad orthographiam attinet, cum B ceteri quoque codices optimi uidentur, quamquam pro certo affirmare non audeo, cum a Fickerto non ea qua opus est diligentia ac cura excussi sint. De praepositionum autem cum uerbis et nominibus compositarum adsimilatione, uiam ingredi non dubito, quam praeierunt uu. dd. in aliis scriptoribus recensendis, duces scilicet libros in retinenda et respuenda adsimilatione sequendos duco. Itaque „compotes" „compositus" „immunis" etc. e sollemni B scriptura recipiendum puto. retineo etiam quod codd. praebent „omn*is* *exe*qui numeros." Accusatiuum nimirum in *is* exeuntem satis et B et aliorum Senecae codd. tuetur auctoritas. *is* autem in B saepius mutatum esse in *es* testis oculatus possum confirmare, cum Fickertus semper fere „es" a prima manu exaratum esse putauerit. Accusatiuos in „is" terminatos Bamb. praebet ep. 94. 39, 65; ep. 99. 8; ep. 100. 4, 8; ep. 102. 17(bis); ep. 106. 2; ep. 110. 1; 113. 22; ep. 114. 25; ep. 116. 3; quibus locis exceptis duobus, ep. 110. 1 „omnis" et 113. 22. „.omnis.", Fickertus has formas genuinas in textum recepit. Deinde haud raro uera scriptura a correctore quodam mutata est in „es" cuius mutationis, quae Fickertum semper fugit, exempla habeo haec: ep. 90. 9, 10, 31, 41, 42; ep. 91, 11, 15, 16; ep. 94. 1, 28, 72; ep. 108. 1, 4 (bis.) Omnibus his locis pristinam scripturam restitui iubeo. Nec rescribendum esse „exequi" monitus negabis. Solet enim ita semper fere scribi in Bamb. (expectare § 44. extingui § 26. exequi § 11. etc.)

§ 6. AB non „praecepit" exhibent, sed praecipit", quod quominus in textum recipiamus nihil obstat; quin etiam praeferendum tempus praesens. Grauius uitium tollendum in iis

quae secuntur „alios quoque artifices praecepta confirmant“ quod uiros doctos fugisse mirandum sane est. Aduersarius nimirum, quem sibi fingit Seneca obloquentem, probaturus est praecepta ad uitam beatam sufficere. Itaque hoc utitur syllogismo: ad efficiendum artificem sufficiunt praecepta: sapiens artifex est, scilicet uitae: ergo ad efficiendum sapientem praecepta sufficiunt. Iam desiderari uides pro eo quod uolgo legitur „confirmant“ i. e. corroborant, stabiliunt, efficiunt, ut in uia, quam ingressus est, procedat, uerbum quoddam, cui eadem insit uis atque illi „fecit“. Hoc sane ne Seneca quidem negat confirmari praeceptis artifices, utilia esse praecepta „ad sapientiam properanti“ sed hoc negat solis praeceptis eum fieri. Lenissima autem mutatione uerum erui potest scribendo scilicet „conformant.“ „formare“ hac notione passim apud Seneca inuenitur (cf. § 5. ep. 94. 36, 39, 47 etc.) „conformare“, quod paullo fortius est, ut aptissimum huic loco Senecae restituere non dubito, quamquam non memini legere in scriptis eius; sed et apud Ciceronem et huius saeculi scriptores saepius legitur.

Transeo ad uerba ab aliis iam coniecturis tentata „discutit enim inpedimenta et tractat obstantia“. Ac primus quidem Bartschius (mus. rhen. XXIV. p. 281.) sagacissime perspexit, tractandi uerbum alienum ab hoc loco esse et post fortiter illud et cum ictu quodam dictum „discutit“ mirum quantum languere. „traicit“ autem, quod rescribi iubet, neque apud Senecam neque apud alium scriptorem usurpari uidetur pro eo quod expectamus „perrumpere, sternere, eluctari, dissipare“ etc. Nec Baehrensius mihi persuasit (lect. lat. p. 43.) scribendum esse „tranat obstantia“. Nam etsi concedo „tranare pericla“ ap. Sil. Ital. legi et a Senecae stilo poeticum genus dicendi minime abhorrere, tamen uerbum illud prorsus singulare Senecae obtrudere ualde dubito. Itaque accurate perpendenti mihi, quonam modo mendum hoc corrigendum esset, ex ipsis Senecae uerbis medela huic loco afferri posse uidebatur. Haud enim raro huius generis locutionibus uti nostrum, uerbaque haec

saepius uariare et mutare cum obseruassem, collegi atque excerpsi quae huc spectant. Iam si comparaueris quae extant N. Q. VI. 13. 1. „demolitur ac iactat“ N. Q. VI. 13. 4. „conuellere ac iactare“, ibd. 24. ex. „iactat obstantia“, ep. XVI. 4. „impellit et iactat“ etc. mecum haud cunctanter rescribes „discutit enim impedimenta et iactat obstantia.“ Mendum hic obuiam habemus, quo frequentius sane nullum deprehenditur in codd., dittographiam dico. *t* enim littera cum praue uerbo illi adhaerens *tiactat* effecisset in cod. archetypo id non poterat non corrigi in „tractat.“ Idem uerbum Senecae restituendum est benef. VI. 31. 8. emendandumque „impellentem et iactantem (mutandem codd.) quicquid obstiterat.“

§ 8. Quod iam olim Schweighaeuserus A cod. auctoritatem secutus suo iure in textum recepit „Grammaticus non erubescet soloecismo, si sciens *fecit*“, cum et in B, uelim mihi credas, legatur, quanto ocius reponendum est. Saepius in edd. perperam praesens tempus inuenitur pro eo quod rectissime seruant codd. perfecto: ep. 121. 21. scrib. „sine consilio fit quicquid natura praec*e*pit.“; ep. 123. 8 „etiamsi non statim pro*fe*cit.“; ep. 119. 6. „consecutus quod numquam diuiti (sic emendandum.) con*ti*git finem.“ Perfectum autem quod legitur ep. 92. 24 „apud quos uoluptas imperauit“ locum hic non habere, recte obseruauit Muretus; sed errat uir ille d. quod edidit „imperat.“ Genuinum, si quid uideo, est „apud quos uoluptus *semper* imperauit.“ Schweighaeuserus optime quoque edidit ep. 91. 13 ex. „in hac quoque urbe uerisimile est — quam amisere restitu*ant*“ pro eo quod hodie increbruit „restituantur“, ut Fickertus adnotat „ratione non reddita“. Sed persuasum mihi est formam actiuam, cum etiam in Bamb. legatur, ex A petitam esse.

§ 11. ex. quae leguntur in codd. et edd. non recte sese habere optime Lipsius alii mihi uidentur perspexisse. Quid enim? oppositione inest his uerbis Senecae acumine digna? Concinna haec sane et satis dilucida fuisse Haasio et Fickerto uidentur, quod uellem explicassent. Sed cum illud intellegam,

emendatione opus esse, de ipsa tamen medela dubius haereo. Fortasse hoc dedit auctor: „qui in rem *praesentem* praecepta acceperit, non in omnem“ cf. ep. 30. 13; 59. 5; 66. 33; 98, 17.

§ 14. iam dudum in schedulas coniceram Senecae esse: „uetus illa sapientia *c*um maxime nascens etc.“ Iam ecce egregie prorsus coniecturam hanc confirmant optimi libri claris perspicuisque litteris exhibentes, quod unice uerum est: „*c*um-maxime.“ cf. Hand. Tursell. III. 601.

In ea, quae sequitur, paragrapho corrigendum uidetur „*u*ulnera“, cum semper Bamb. „uultus, uulnera, uult etc.“ exhibeat. Fick. sane et Haasius ubique pristinam formam „uolnus etc.“ restitui iubent; sed magis me mouet librorum auctoritas, nec, puto, Haasius praetulisset hanc formam, si accurata adnotatione critica uti ei licuisset. Deprehendi haec modo pristinae scripturae exempla: ep. 90. 27. „paru*o*la“ et ep. 99. 29 „reliqu*o*m.“ Has cum duplici „uu“ formas increbruisse primo iam p. Chr. saeculo Quintiliani uerbis probatur Inst. 1. 4. 11.

§ 16. Scribendum est cum codd. „umor“ „uultus“.

„Corporum“ quod libri sine uncis praebent, recte remouerunt editores. cf. ep. 47. 16. Quomodo in textum irrepserit fortasse ita explicari potest, ut meram dittographiam putemus uocabulorum proxime antecedentium „torporaut.“ Omissa subditicia hac uoce chiasmus qui dicitur suauissimus efficitur.

§ 17. Senecae uerba sunt: „et cerebri exaestuantis uerminationes.“ uerbum „exaest.“ paullo fortius quam simplex e poetarum usu in suum conuertisse uidetur Seneca. Saepius eo utitur de mari cons. Marc. 18. 4. N. Q. III. 26. 6., de igni ep. 79. 3. Metaphora deinde admodum usitata ad animi motus atque adfectus transfertur ep. 82. 4. Itaque „cerebrum exaestuans“ est „concitatum, ardens.“

§ 18. In uerbis „Corpora opere ac uero labore durabant aut cursu defatigati aut uenatu aut tellure uersata“ quod non offenderunt uu. dd. mirandam est. Quomodo enim

defendi possint uerba illa ad priorem ambitus partem addita „aut cursu defatigati aut uenatu aut tellure uersata“ plane me non intellegere ingenue confiteor. Neque enim quod ad sententiam nec quod ad orationis structuram attinet ferri potest additamentum illud. Misere enim claudicare quae adiecta sunt et aliena prorsus esse a Senecae more, concisum illud ac breue loquendi genus adamantis, non est quod moneam. Itaque cum nec sermo recte procedat copulatis his cum priore enunciati membro neque interpolatoris manum in his deprehendamus, unum restat, scilicet ut iungamus molesta illa uerba cum eis quae secuntur. Et diligentius quidem rem nobis perpendentibus non solum iungi posse sed utique iungenda esse cum sequentibus iam apparebit. Nonne aut accuratiorem quandam ad illud „excipiebat illos cibus etc.“ expectamus definitionem, ueluti „cum fessi redirent“ aut in hunc modum conformanda erat oratio „capiebant illi cibum etc.“? Iam, si recte haec a me disputata sunt, necesse est interpungamus post „durabant“, et corrigamus: Aut cursu defatigat*os* aut uenatu aut tellure uersata excipiebat illos cibus eqs. Tum recte oratio procedit. Accusatiuus autem „defatigatos“, cum perperam distinctum esset post „uersata“, ut hodie quoque in Bamb., a librario quodam mutatus esse uidetur in nominatium.

§ 22. „Beneficium sexus suis uitiis perdiderunt.“ Ita Fickertus et Haasius ediderunt, cum recensiones ueteres exhibeant „sexus sui.“ optime! quid enim? suisne propriis uitiis indulgentes morbis uexantur a natura sexus muliebris alienis? Minime uero, sed quia a natura sua desciuerunt, quia feminam exuerunt, uirorum uitiis ac libidinibus deditae, damnatae sunt morbis uirilibus. Itaque cum pronomen coniungi nullo modo possit cum „uitiis“ aptissime autem adiciatur substantiuo praecedenti ‚sexus' utique retinendum esse censeo Lipsii et Schweighaeuseri lectionem „sexus su*i*.“ Omnem vero dubitationem tollit Bamb. libri auctoritas; uelim enim mihi credas exhibere hunc codicem praestantissimum „sexus su*i*.“

§ 24. In omnibus usque ad hunc diem edd. „per nationes

colorosque descripta" legimus. Quin genuinum sit „*di*scripta" non dubitabis post egregiam Buecheleri disputationem mus. rhen. uol. XIII. insertam (pag. 602.), qua quid sit discriminis inter uerba „discribere" et „describere" sagacissime enucleauit. Itaque cum iamdudum Buechelerum secutus emendassem „discripta", postea me non destitutum esse cod. optimi auctoritate intellexi. Fickertum sane fugit „descripta" a correctore mutatum esse ex „discripta", nam ut alibi ita hoc loco primam a secunda manu male distinxit. Idem mendum tollendum est his locis: de otio V. 6 tranq. X. 4. beneff. VI. 33. 3; VII. 4. 2. de ira III. 22. 5. epp. 73. 6; 87. 18; 89, 2; 108, 20; 119. 15. Contrario uero uitio laborant quae leguntur in libello de const. sap. IV. 2 ubi scribendum esse mihi persuasum est: „aut demissis in profundum catenis Neptunum potuisse contingi." Libere enim fateor, me prorsus non intellegere, quid sibi uelint Fickerti uerba, quae adiecit in adn. crit. „propter uerbum ‚contingi' recipiendum uidebatur (dimissis scil.)" Adnectam occasione data locum qui extat. ep. 121. 6: „pictor colores, quos ad reddendam similitudinem multos uariosque ante se posuit, celerrime denotat". Quanto ocius rescribe: „d*i*notat." Sagacissime memini Usenerum monere cum interpretaremur Minucii Felicis suauissimum libellum, uerbum „dinotare" i. e. certis iudiciis ac notis distinguere in res aliquas", lexicis esse adscribendum.

§ 26. Codd. auctoritas efflagitat, ut in contextum recipiamus „et quae tantum non *ex* ipso igne in os transferuntur." Deinde suspicionem mihi mouet adiectiuum „ueterem" in eis quae secuntur „quantum fastidium sui exhalantibus crapulam ueterem", quippe quod explicatione satis idonea ac probabili careat. Corrigendum fortasse est coll. ep. 122. 1; breu. uit. XIV. 7. „crapulam *hesternam*." Cogitabam etiam de „ueterno" i. e. graui somno et languore pressi.

§ 27. „ueneriae spondylique et ostrea eatenus circumcisa qua eduntur interuenientibus distinguebantur echinis. torti destructique etc." Verba a Fickerto in hunc modum conformata

non magis Senecae esse, quam quae Haasius edidit, facile concedes. Utraque enim scriptura et a codicum uestigiis nimis recedit et iusta caret explicatione. Accurate mihi anquirenti alia placet ratio, qua loco uexato subueniri possit. Fortasse enim librarii socordia post „totam“ uocem non adiectiuum quoddam intercidit, ut Haasio placuit, sed „echini“ — nominatiuum nimirum codd. praebent a pr. m. — coniungendum cum iis, quae secuntur, legendumque „echin*i* totam (patinam scil.) d*i*structique sine ullis ossibus mulli constrauerant.“ Si uero ita statuerimus, substantiuum aliquod participio „interuenientibus“ addendum erit, quod uide fueritne *„turdis“*, male a librario inter uerba „interuenientibus“ et „distingueb.“ praetermissum. Turdus nimirum piscis est, quem Graeci *κίχλην* uocant, a colore turdi auis dictus. Varro L. L. IV. 12. Plinius (XXX. 11. XI. 53. ext.) turdum, „inter saxatiles nobilem“ componit cum ueneriis aliisque huius generis.

In eis, quae statim adnectuntur cum codd. praebeant: „piget esse iam singula.“ nullaque obstet causa, quod mutetur uerborum ordo, transponendae sunt inter se uoces „esse“ et „iam“ in edd. Saepius errat Fickertus in adn. crit. quod attinet ad uerborum collationem, cuius rei exempla ex B collegi haec: praebet B ep. 89. 4: „superuacua mihi haec uidetur adiectio.“ 90. 2: „religio, pietas, iustitia.“ ibid. 5: „opus esse legibus coepit.“ 91. 9: „inter quos ista frequenter nuntiantur.“ 92. 4: „et quid turpius stultiusue.“ ibid. 5: „quam Graeci *ἀοχλησίαν* uocant.“ 94. 26: „itaque subinde ad memoriam reducendus es.“ ibid. 30: „alium esse ingenii mobilis.“ ibid. 40: „frequenter aspici (ita semper B, non adsp.) frequenter audiri.“ 95. 59: „quemadmodum folia per se uirere non possunt.“ ibid. 63: „in hoc odium moderetur.“ 97. 8: „longe enim frugalior haec iuuentus est quam illa.“ ibid. 9: „et res ipsa etiam sine duce.“ 99. 29: „sed ut castigarem exiguam illam moram.“ 102. 6: „quaedam continua corpora esse ut hominem.“ ibid. 11: „nos bonus bonos iudicat.“ 104. 20: „habere iucundas, comitem tuum sana.“

113. 23: „Alexander Persas quidem et H.“ 114. 7: „fugitiui diuites solent.“ ibid. 8: „quod uitium hominis esse interdum, interdum temporis solet.“ 118. 5: „et hanc semper integram egerere materiam.“ 120. 4: „noueramus uires corporis.“ 121. 2: „non quicquid morale est, mores bonos facit.“ ibid. 5: „quae paullo remotiora uidentur excutere.“ ibid. 8: „etiam dolore prohibente nitantur.“ Cum nusquam aliquid causae sit, quod male traiecta esse uerba putemus, haud paucis uero locis quin etiam praestet codicis scriptura, ordinem uerborum qualem optimus liber nobis tradit, retinere fas est.

§ 37. Egregie mendum quod latet in uerbis: „Ceterum ut illos in bonum pronos citius educit ad summa et hos imbecilliores adiuuabit etc.“ Bartschius iam sustulit (mus. rhen. XXIV. 281.) scribendo scilicet: „Ceterum *et* illos i. b. pr. citius educet ad summa et hos eqs. Eandem profert emendationem Madvigius (adu. II. 5.), cui Bartschii dissertatio ignota fuisse uidetur. Particulae „ut“ atque „et“ in B etiam § 51 et ep. 92. 8 — legendum enim „*ut* ex diuersis ac male congruentibus membris“ — confunduntur, litterarumque „e“ et „i“ confusio solemnis est in libro praestantissimo. Adnectam locum eodem uitio inquinatum, qui ut auxilium sibi feratur adhuc expectat. ep. 94. 43 legimus: „adeo etiam sine ratione ipsa ueritas ducit.“ Ducendi uerbum nihil prorsus loci hic habere scribendumque esse „*elucet*“ coll. simili loco Ira II. 29. 2. „magis enim ueritas elucet.“ manifestum est. *cl* et *d* in B certe inter se tam similia sunt, ut haud raro uix discerni possint. Alterum huius confusionis exemplum oculis se ingerit benef. VI. 23. 5 „mente in altum data.“ Emendare iamdudum oportebat „mente in altum elata.“ In eis quae secuntur cum codd. exhibeant „quae quam sint necessaria scilicet uideas“ uerum fortasse est: „*sic licet* uideas.“ ut uocula „sic“ ad sequentia referenda sit. Iam enim demonstratur placita philosophiae ad consummandam sapientiam necessaria esse.

§ 39. Recipiendum est in textum quod in editionibus ueteribus nescio ex cuius coniectura legebatur: sciet in uxo*rem*

grauissimum esse genus iniuriae p*ael*icem (cum AB.).“ nempe „m“ lineola transuersa cum scriptum esset, aut temporum iniuria euanuit aut librariorum socordia intercidit. Cum Haasio deinde participium futuri „obstatura‘ reuocandum nec cum Fickerto in adnot. repellendam esse apparet, si memineris, part. fut. usum apud huius temporis scriptores frequentem et alienum nonnunquam esse ab aureae aetatis consuetudine. Ita enim haud raro ponuntur, ut Graecorum part. aor. cum ἄν particula coniuncto respondeant. cfr. ex. gr. cons. Marc. 26. 2.

§ 41. „et totiens tamen sestertio aditiales coenae frugalissimis uiris constiterunt.“ Uocabulum „docens“ (ita codd. pro „totiens“) corruptum sane iam olim uu. dd. mutauerunt in „tricies.“ Sed cum mihi quoque aut intercidisse numeri nota aut latere in corrupto illo „docens“ uideretur, tamen qua ratione ducti „tricies“ scripserint uu. dd. intellegere non contigit. Neque puto „totiens“ felicius Fick. et Haas. elicuisse ex illo „docens.“ Non enim aliter explicari possunt uerba ita conformata ac „et tamen uiris frugalissimis cena aditialis saepe minimo constitit.“ cfr. § 59. Haec uero sententia plane repugnat et iis, quae praecedunt et eis, quae secuntur. Occupat enim Seneca, quod intellegit opponi posse: at saepe tamen frugalissimi uiri ingenti pretio aditialem cenam instruxerunt. Iam respondet, multum interesse, utrum honoris an gulae ac libidinis causa adparentur. Rectissime igitur mihi uidetur Lipsius sensisse desiderari hoc loco numeri notam. Sed errat quod sexcentis sestertiis existimat equestrem censum constitisse, cum satis idoneis demonstretur exemplis, quadringena milia ad explendum equestrem censum suffecisse. cf. Plin. ep. I. 19. Tac. ann. IV. 63. 4. Praeterea nulla, si quid ego uideo, est causa, cur respicere Senecam ad cens. equ. putemus. Itaque ut dicam quod sentio „docens“ mutandam esse mihi uidetur in „deciens“ scribendumque „*at deciens* tamen sestertio aditiales *c*enae frugalissimis uiris constiterunt.“ cfr. Suet. Claud. 9. postremo etiam sestertium octogies pro introitu noui sacerdotii coactus impendere.“

In eo quod sequitur enunciato restituere oportebat quod codd. tuentur: „reprensionem.“ Plerumque enim Seneca hac forma utitur. Etiam § 43. „reprenderim“ et ep. 119. 4 „comprendero“ scrib.

§ 43. Nescio quamobrem editores spreuerint quod in A et a pr. m. in B exaratum est „liciti sunt.“ Immo pristina codicum scriptura, quae nullam prorsus offensionis causam praebeat, reuocanda est.

§ 46. Apud Fickertum haec legimus: „Illud, ut puto, concedes nihil esse turpius dubio et incerto ac timido, pedem referente.“ Quae uerba, quamuis codd. nitantur auctoritate, labem traxisse quis est quin sentiat? Haasius quoque aberrat a uero audacter ac temere mutando: „— et incerto actu modo progrediente, modo pedem referente.“ Sed priusquam Haasii rationem sequamur „dolabra expediti“ ut facete Gronouius alicubi, commodiora circumspicere libet remedia. Ac felicissima emendatione Bartschius uerba corrupta pristino nitori restituisse mihi uidetur (l. l. pag. 281.) scribendo scilicet: „— nihil esse turpius dubio et incerto ac timide pedem referente.“ Non tamen omnibus numeris absolutum hoc inuentum puto esse, sed recepta Bartschii emendatione legendum propono: „ac timide pedem *pro*ferente.“

§ 48. Fickerti incuria factum est, ut perperam etiam apud Haasium editum sit: „a molestiis ac superstitionibus“ quod ἐκ διὰ δυοῖν non Senecae, sed librariorum est. Codices optimos secuti scibamus: „a molestis superstitionibus.“

„omnia tribuentem beneficium gratis dantem.“ Dubitari nequit quin rectissime statuerint uu. dd. eiectis librariorum foedissimis commentis scribendum esse, „omnia tribuentem gratis.“ Saepius enim in codd. singula uerba explicationis causa margini adscripta esse, nisi res esset admodum nota, exemplis ex ipso B petitis probari posset. Omnino uu. dd. non satis animum aduertisse existimo ad librariorum additamenta, quibus haud ita raro Senecae uerba deprauata sunt. Ea quoque, quae leguntur ep. 94. 2 glossemate inquinata esse pro certo

affirmauerim. Quaeritur ibi utrum praeceptiua philosophiae pars an dogmatica utilior sit. Quidam praeciptiuam solam receperunt. „Sed Ariston Stoicus (uel potius e Maduigii egregia emendatione „Chius“ cf. adu. uol. I. p. 39.) contrario hanc partem leuem existimat et quae non descendat in pectus usque. ad illam habentem praecepta plurimum ait proficere ipsa decreta philosophiae eqs.“ Aristonis sententia de hac re supra iam a Seneca prolata est ep. 89. 12 „locum qui monitiones continet sustulit et paedagogi esse dixit, non philosophi.“ Accurate igitur si locum perpenderimus, haec erit sententia: paraeneticam partem philosophiae Ariston leuem putat, dogmaticam uero i. e. ipsa decreta plurimum ait proficere. Nec id non senserunt uu. dd., qui ita locum conformauerunt: „ad illam non habentem praecepta plurimum ait proficere ipsa decreta etc.“ Pronomen enim „illa“ satis luculenter demonstrat a praeceptiua ad dogmaticam partem iam fieri transitum. Quid enim? deretana ad praeceptionem plurimum proficiunt? Immo paedagogi hanc esse partem Ariston putat, non philosophi. Nulla prorsus, ut mea quidem fert opinio, interpretatione textus probabilis reddi potest. Iam uero resectis uerbis „illam habentem praecepta“ oppositio efficitur quam desideramus, ita ut optime procedat oratio, ac congruat hic locus cum iis quae per paginas sequentes de Aristonis sententia disseruntur. Alio quoque loco, in libro III. quem composuit de ira, putidam monachi cuiusdam sapientiam mihi deprehendisse uideor. Quae enim capitis XX in calce habemus: „Ex his duobus tamen, qui leoni obiectus est, uixit.“ cicienda esse ut ex eiusdem libri cap. 17. 3. petita apparet. Non Seneca adiecit ista uerba quibus deminuitur quodammodo celeris immanitas, cum alias Annaei, Senecam dico et Lucanum, acerbissime semper et haud raro inique in Alexandrum magnum inuehantur.

In huius ipsius epistulae § 60. male edd. praebent: „superuacua esse decreta sapientiae, i. e. dogmata.“ Suspicionem mihi mouent postrema haec uerba „i. e. dogmata.“ Nam

cum tota hac epistula quaesitum sit de decretis philosophiae, uix probabile est hic denuo explicari, quid sint decreta. Mihi quidem reicienda haec uerba uidentur esse, quae si addere uoluisset Seneca, certe adicienda erant iis quae paullo ante leguntur „hi qui decreta tollunt."

Quod autem uncis inclusum in edd. peruolgatur § 55. „temperantiam amemus" hoc reiciendum esse luce clarius est. Equidem coniectura assequi non possum, qua ratione ducti haec inseruerint in textum uu. dd., quae, si Fickerto fides, nullius ne infimae quidem aetatis codicis auctoritate defenduntur, sed in edd. solum inueniuntur inde ab ea quae Romae prodiit anno 1475 usque ad Schweighaeuserianam.

§ 51. Certissimum hic argumentum habemus ad confirmandam coniecturam, quam supra proposui, A cod. ex B esse descriptum. B enim cum in extrema folii 44 b parte „*pa*" in initio fol. 45 a „*ꝯamus*", A uero „*pa ꝯamus*" exhibeant, apparet A cod. librarium correctura parum intellecta *c* superscriptum inserendum esse putauisse. Nam solet in B littera perperam omissa ita inseri, ut superscribatur punctoque interposito locus indicetur quo addenda sit.

Rectissime Bartschius statuit (l. l. p. 281.) elegantius esse et magis e Senecae more, quod A praebet § 55. „sed nil aget, si ignoramus, quid sit uirtus, una sit an plures, separatae an innexae etc." Utique reuocandum est genuinum „aget" cum praestantissimus etiam B cod. nobis non „age", ut Fickertus contendit sed „aget" claris litteris exhibeat. Et optime sane hoc respondet ei quod praecedit: „praecipiet aliquis", cfr. ep. 94. 4. „nihil agit, qui praecipit." i. e. operam perdit. 99. 4. „tot annis tanta coniunctione uitae, tam familiari studiorum societate nil (sic scribendum cum B.) actum est?" Bene autem Haasium rem gessisse puto, retinendumque quod codicum auctoritate nititur „plures separatae aut innexae." plures nimirum illae uirtutes accuratius iam definiuntur: aut separatae aut inter se coniunctae esse possunt.

§. 57. „ceteri decidunt subinde et reponuntur et inter intermissa adpetitaque alternis fluctuantur.“ In utroque codice cum exaratum inueniamus „et intermissa“, altero „inter“ omisso, equidem non dubito quin Seneca scripserit „et inter missa adpetitaque fluct.“ „intermittere“ enim i. e. differre, interrumpere, interim relinquere etc. minus quadrare mihi uidetur in loci sententiam quam „mittere“ quod saepius poni cum a prosae orationis scriptoribus tum a poetis pro „omittere, praeterm.“ satis est notum. Sententia igitur haec fere est: „fluctuantur ii qui certum nondum adepti sunt iudicium et mox ea quae abiecerant petunt, mox quae petierant abiciunt.“ Si legimus: „inter intermissa adpetitaque“ talis efficitur sententia: „iam petunt quae interruperant eo scilicet consilio ut postea resumerent.“

§ 59. „Quemadmodum folia uirere per se non possunt, ramum desiderant, cui inhaereant, ex quo trahant succum: sic eqs.“ Senecam in conformanda oratione saepius nimis neglegentem fuisse quippe qui cum poetarum sermonem haud raro secutus sit, tum rhetorum artificia atque sermonis ornamenta in usum suum sedulo conuerterit, uix miraberis. Itaque nemo nesciet, qui accuratius paullo pertractauerit epistulas, concisum eum et breue adamare scribendi genus. Obsoleto enim, ut Haasii uerba praef. XIV. mea faciam, quod Ciceronis temporibus uiguerat studio uinciendi orationem aptissimis quibusque coniunctionibus cum apud alios argenteae aetatis scriptores tum apud Senecam singulae sententiae nullis coniunctae particulis, quarum admirandum est quanta sit apud Ciceronem copia, proferuntur. Itaque cum priores circumscriptione quadam uerborum comprehendere atque concludere studuerint sententiam, apud huius temporis scriptores tam exiguus periodorum, quae dicuntur, numerus extat, ut totis paginis nulla fere inueniatur. Mirandum igitur non est, cum neglegentiores eius rei sententiarum nexum non ipsi indicauerint, sed quomodo inter se pendeant coniciendum lectori proposuerint, cum ipsa arte comprehendendi artificiose sententiam instrumenta quoque

huius artis, quorum haud spernenda pars particulis constat, abiecta esse. Quo factum esse uidetur, ut nec particulae correlatiuae „cum — tum“ neque „etsi“ in Senecae scriptis unquam legantur. cf. Bernhardy hist. litt. Rom. p. 278. Sed ut iam redeamus ad locum nostrum, cum laxius adnectantur iis quae praecedunt uerba „ramum desiderant cui inhaereant, ex quo trahant succum.“ quam apud Senecam ipsum ferri possit, scribendum propono: „Quemadmodum folia per se uirere (monui ad § 27.) non possunt, ramum *enim* desiderant cui inhaereant, ex quo trahant sucum.“ Supra iam exempla quaedam attuli quibus comprobatur saepe librariorum neglegentia intercidisse singulas syllabas totasque uoces, quibus haec addenda sunt: benef. II. 7. emendandum duco „aliquid Tiberius *as*secutus est“. in eis quae haec uerba secuntur uerum uidetur esse: „beneficium uero dan*t*i tota alia sequenda est uia.“ ep. 113. 2. restituendum est: „si animal est, inquit, uirtus, habet *et* ipsa uirtutem.“ benef. V. 14. 3. et ipse adnotaueram inserendum esse post „imperitos“ „in pretio“ quod inuentum non tam doleo praereptum esse a Madvigio (adu. II. p. 418) quam gaudeo, quod coniecturam meam uiri egregii auctoritate probatam uideo. Contrario fortasse uitio laborat locus qui legitur in ep. 90 § 5. et hunc in modum restituendus est: „Solon qui Athenas aequo iure fundauit inter septem sapientia notos.“ *cui* quod post „septem“ praebent codd. cum explicari nullo modo possit, mera dittographia videtur esse litterarum praecedentium „em.“ Etiam in libr. II. quaestionum nat. cap. XIX. Senecae scribendi genus efflagitat, ut idem statuamus mendum corrigamusque: „At cum illas interscidit fulget: minor uis ignium fulgurationes facit, maior fulmina“ „et“ particula quam codd. praebent post uerbum „fulget“ deleta. Amat enim Seneca opponere inter se singula enunciata nullis iuncta particulis.

§ 60. Haasium secutus potius scriptum fuisse opinor „tam *me*hercules.“ quam quod in codd. nobis traditum est „tam hercules.“ cfr. quae de hac re Haasius exposuit in

praef. uol. III. pag. XIV. „me“ syllaba facillime iutercidere potuisse apparet, cum „m“ littera antecedat, neque in tanta exemplorum copia, quibus formulam „tam mehercules“ codices tuentur, uerisimile est hic Senecam a consuetudine recessisse.

§ 65. „His adiecit causarum inquisitionem, aetiologiam quam quare dicere nos non audeamus, cum grammatici eqs.“ Suo iure „aetiologiam“ edidisse uidetur Fickertus, certe qua causa commotus Haasius maluerit „etymologiam“ non intellego. Non enim „etymologia“ causarum inquisitio est, sed uerborum explicatio, ueriloquium, notatio, ut Ciceronis uerbis utar. (top. VIII. 35. Acad. I. 8. 32.) Sed hoc moneo, uerum esse „aetiologi*an.*“ si quidem in his rebus codices bonos sequi uolumus. Terminationem nimirum graecam semper fere in huius generis uocabulis retinet Bambergensis ex. gr. ep. 89. 6. „soph*ian*“, ep. 90. 11. „Diogenen“ 104. 31. „Atriden—Achillen.“ Minime autem interpungendum est cum Haasio: „causarum inquisitionem, aetiologian, quam eqs.“ sed distinguendum „caus. inq., aetiologian quam quare eqs.“, ita ut „aetiologian“ cum ictu quodam in initio enunciati positum sit.

§ 68. Uersus quos orationi innectit Seneca, Vergili sunt e libro III. Georg. desumpti (u. 75—81. 83—85). Sed recedunt paullum Senecae codices optimi a libris Vergilianis. Et aperte quidem corrupta transeo, non autem probo ueram AB lectionem duobis locis a uu. dd. spretam esse, Vergilianos libros mss. secutis. Ex intempestiuo sane Fickerti silentio colligendum est Bamb. exhibere „sese committere ponto“, sed, si apographo meo fides, a prima man. „ponti“ exaratum erat, quod a sec. m. correctum est in „ponto.“ „ponti“ etiam A sine correctura exhibet. Non me mouent Vergili codices, quorum magnam partem „ponto“ exhibere editores testantur, quamuis plerique „ponti“ scripserint. Nisus A et B auctoritate Senecae interim restituo „ponti“ quod etiam meliorem praebet sententiam, cum paullo insolentius de equo sit dictum ‚committit se ponto' nec non langueat post uerba ‚fluuios tem-

ptat minacis' (min*acis* suo iure pro Uergiliano „minantes" substituerunt Fick. et Haas.) Deinde cum u. 8. codd. tradant: „arma deder*unt*", hoc recipiendum esse in contextum censeo. Data hac occasione paucis attingam Senecae morem quo utitur in poetarum uersibus citandis. Et saepissime eum cum aliorum poetarum tum Vergili lectione imbutum sententiis illorum orationem adornasse uel percurrenti oculis partem aliquam siue epistularum siue alius cuiuslibet libelli manifestum erit. Quorum uersuum haud exiguus numerus magis minusue immutatus quin etiam nouatus est. Atque hoc sane quod uersus, quos inserere orationi suae in animo habebat, uerborum structurae ac sententiarum nexui accommodauit mirum non est. Itaque saepius uersus per alias adnectit particulas flagitante nimirum sententia, indicatiuum haud raro in coniunctiuum mutat, uersus e diuersis poetae locis in unum coniectos exhibet etc. Cuius generis exempla haec proferre liceat: Nat. quaest. I. 3. 4. (Ouid. mett. VI. 65.); ibid. VI. 18. 3. (Vergil. Aen. I. 53.); ep. 28. 1. (Verg. Aen. III. 72.) Aptius quoque erat quod ep. 122. 2. Seneca scripsit „illis sera rubens etc." quam Vergilianum „illic sera rubens." Eadem ratione ductus N. Q. VI. 13. 4. „coepta" quod apud Vergilium legitur (Aen. VI. 255.) in „celsa" mutauit. Neque miraberis, quod uit. b. XXI. 1. futurum inuenitur, non praesens tempus quod Ouidio (mett. II. 328.) placuit. Ita etiam ep. 92. extr. „canibus data praeda marinis" lepide scripsit, cum Vergili „canes latini" hic non prorsus quadrent. Haud paucis deinde locis sententia scilicet non cogente singula uerba, siue consilio factum est, siue memoriae lapsu, paullum immutauit ex. gr. ep. 86. 15 „uere fabis satio est." coll. Verg. Georg. I. 215: „uere fabis satio." N. Q. III. 26. 5. non dubitabis, quin recte editum sit: „Doris amara suas non intermisceat undas" apud Senecam pro Vergiliano (Eclog. X. 4.) „suam — undam." benef. VII. 1. „- - carmine longo" scripsit noster, quoniam id quod Vergilius dedit (Georg. II. 45.) „carmine ficto" parum in hunc locum quadrat. Poetico quoque saepius ingenio

indulsisse uidetur, ueluti benef. IV. 14. 1. „quae, quia non licuit, non dedit, illa dedit“ proferens, cum codices Ouidiani exhibeant: „quae, quia non liceat, non facit, illa facit.“; Nat. Q. V. 14. 1. „et caecis suspensa latebris“ obuiam habemus apud Senecam, apud Ouidium (mett. I. 388.) „caecis obscura latebris.“ Rectius uero particula „et“ apud Senecam separatur a poetae uerbis. Itaque cauendum est, ne corrigamus quae recedunt a uolgata lectione apud poetas, ueluti N. Q. III. 27. 12. „omnia pontus erant.“ cfr. Ouid. Mett. I. 292. „omnia pontus erat.“ Quin etiam dubitari haud raro potest, an uerior sit scriptura, quam Senecae codices nobis tradunt. Magis ex. gr. mihi placet, quod optimi libri ap. Senecam quaest. nat. III. 27. 13. praebent, „pressaeque labant sub gurgite turres“, quam quod in Ouidii editionibus peruolgatur (mett. l. 290.) „pressaeque latent etc.“ „latet“ enim nimis languet post participium „pressae.“ Etiam prou. V. 8. magis mihi arridere confiteor Senecae uerba: „Tethys solet ima uereri,“ cum suauissimam efficiant oppositionem, quam Ouidianum illud „Tethys solet ipsa uereri.“

Quaedam autem editorum incuria aliter apud Senecam atque apud poetas leguntur, cum codd. utrique inter se congruant. Quod in edd. extat Nat. quaest. l. 14. 2: „stellarum longos a tergo albescere tractus.“ duce Memmiano codice egregio non minus quam flagitante sententia corrigendum est in „flammarum long.“ (Verg. G. l. 367.) Eundem sane Uergili uersum uerbis traiectis habemus Nat. quaest. VII. 20. 1. ita conformatum: longos a tergo flammarum albescere tractus.“ Restituendum quoque haud dubie quod B nobis seruauit in extrema ep. 107. parte. Cleanthis ibi uersus, quos habemus graeco sermone compositos ap. Epictet. ench. c. 52. latine reddit noster. quartum u. hunc esse uoluerunt Fickertus et Haasius: „malusque patiar quod pati licuit bono.“ Apparet codicum scripturam retinendam esse „malusque patiar facere quod licuit bono“, quam Haasium quoque postea amplexum esse uideo (cf. praef. uol. III. p. XXVII.) Sed iam ut finem faciam, paucis ei loci attin-

gendi sunt, quibus poetarum uersus paullo neglegentius a Seneca redduntur. Nam omitto ea, quibus Seneca poetae uerba ad alias quas tractat res iocose interdum refert. Huius generis haec sunt: ep. 84. 2: „liquentia mella Stipant et dulci distendunt nectare cellas." cfr. Uerg. Georg. IV. 163. „aliae purissima mella Stipant et liquido dist. eqs." In libr. de ira ll. 35 haec habemus: „Sanguineum quatiens dextra Bellona flagellum, Aut scissa gaudens uadit Discordia palla." cum ap. Uerg. Aen. VIII. 702 legatur: „Et scissa gaudens uadit Discordia palla, Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello." Apparet non euoluisse Senecam ipsa poetarum carmina his locis quibus addere liceat Ouidii uersus (Mett. VI. 55.) epist. 90. § 20. insertos. Itaque ut iam dicam, quod sentio, poetarum sententias saepius Seneca, Maronis imprimis nec non Nasonis lectione delectatus memoriter reddidit. Interdum eum memoria lapsum uel proprio ingenio incitatum poetarum uerba paullum immutauisse uidimus. Si uero complures deinceps uersus repetere in animo erat, ipsos poetarum libros eum euoluisse uerisimile est. Nam etsi paucis huius generis locis leues deprehenduntur mutationes, plerumque tamen uerbum de uerbo descripsit; conferri possunt ex. gr. ep. 87. 17: Verg. G. I. 57; ep. 120. 21: Hor. sat. I. 3. 11. Scribendum igitur nostro loco „ponti." et uersu 8. „dederunt." Sed iam redeamus ad propositum et institutum persequamur cursum.

§ 69. Codices quidem praebent: „Si mihi M. Cato exprimendus eqs.", sed cum molestius paullo sit omissum „est" uel „sit", aut Schweighaeuseri coniectura recipienda est: „Sit mihi M. Cato exprimendus" aut quod magis mihi placet corrigendum: „Si mihi M. Cato exprimendus *sit*" uocula „sit" solito errore omissa inter syllabas „dus" et „in."

§ 70. in edd. haec peruolgantur: „cum — rempublicam hortetur (Cato scil.) ne pro libertate decidat, sed omnia experiatur." Cum in B fol. 50 b. desinat in uerba: „decidat sed", fol. 51 a incipiat a uerbo „experiatur", uocabulum aliquod

intercidisse apparet, quod obiecti locum teneat. Et recte quidem quod ad sensum attinet suppletum esse in codd. deterioris notae „omnia“ libenter Bartschio l. l. concedo. Sed quoniam non aeque codicum auctoritate commendatur, leniore medela Senecae restituo: „sed *extrema* experiatur.“

In extrema huius epistulae parte nil habeo quod moneam nisi minuta quaedam.

§. 72. uidetur scribendum esse: „Tuberonis ligneos lectos, cum in publicum sterne*ret* — adposita conui*uis* uasa fictilia.“ Quomodo enim explicari possit pluralis numerus, quem in edd. legimus, non intellego, neque opinor „conuiuiis“ defendi posse. „conuiuium“ quidem haud raro poni eadem notione ac „conuiuae“ admodum est notum, sed pluralem non ita usurpasse Romanos re ipsa probatur.

Extrema epistulae uerba corrigenda esse facile concedes in hunc modum: „fractum est et milli*ens* conflatum. at omnibus *sae*culis eqs.“ „in“ quod in codd. inter „et“ ac „milliens“ insertum est meram apparet esse dittographiam. Numeralia autem in B semper formata sunt in „ens“ neque abhorrere ab hac consuetudine uidentur ceteri codd. boni. cf. ep. 91. 14 ‚centensimus‘; ira III. 33. 2. „milensimam“ (A cod. optimus.)

Pertractata hac epistula iam manifestum esse puto, in redigendis ad pristinam formam Senecae operibus omnes grauioris auctoritatis codices denuo accurate esse excutiendos. Nam ut in hac quam proposui particula, complura codicum ope uitia tolli poterant, ita etiam alibi et multis quidem locis codicis optimi subsidiis instructi uerum eruere possumus. Quin etiam haud ita raro uerum in B extat, sed cum a Fickerto in commentariis praetermissum sit, nondum receptum est in textum. Dolendum ex. gr. est quod non iam cum B legamus ep. 89. 2. „*et* in utramque partem ipse res suas ducit“; ibid. 29. „non tamquam expectaturus esse remedium tam serum.“ (eiectis uerbis „a me“); ep. 101. 10. „ideo propera, Lucili *mi*,“; 102. 29. „quam qui mente con*c*ipit nullos horret exercitus.“; 105.

6. „*eb*landitur“; 108. 8. „ad cupid*inem* recti“; 109. 10. „necesse enim alienum uirtutem exercendo“; 117. 8. „si lippitudo malum est lippire quoque malum est“; ibid. 16. „quis est usus sapientiae.“ Licet omnia haec sint minuta, at philologum tamen decet etiam in his rebus accuratum esse. Deinde etiam ex eis quae proposui intellegi potest, quibus potissimum uitiis codex ceteroquin optimus inquinatus sit. Ac primum quidem multa deprauata sunt, cum librarii socordia ante uoces eisdem litteris incipientes singulae syllabae totaque uocabula interciderent. Tum saepius quoque syllabae singulae male geminatae inueniuntur, cuius rei exempla habes satis idonea in extremis ep. 95. paragraphis. Hoc mendo, syllaba nempe perperam adiecta, corrupta sunt quae leguntur ep. 101. 14. „Quid autem huius uiuere est? diu mori.“ Uitium quod latet in pronomine „huius“ mirum est quod nondum uu. dd. emendarunt. Mihi quidem nullum exemplum notum est, quo demonstretur, infinitiuum coniungi posse cum genetiuo. Interim rescribo: „Quid autem huic uiuere est? diu mori.“ Deinde librarius uerborum structura ac sententia parum intellectis ac male distinctis singulis uerbis haud raro primis uerbi cuiusdam litteris deceptus substantiuum ex adiectiuo uel aliud prorsus uocabulum ab iisdem litteris incipiens effecit. Ita ep. 102. 16. „bene sententiis“ exaratum est pro genuino „bene sentientis.“ ibid. „innocentiam“ pro „in notitiam.“ ep. 123. 3. „qui extollit“ B exhibet, cum uerum sit „quies tollit.“ ibid. 4: „noli tigauit“ quod recte mutatum est in „non litigauit.“ Eadem ratione saepius singulae litterae inter se confunduntur, cum librarius contentus uocabulis latinis sententiae parum consuleret. Iam priusquam finem faciamus dissertatiunculae proferre liceat exempla duo quae in promptu sunt. ep. 91. qua incertam et fluxam rerum humanarum conditionem Seneca Lucilio suo ante oculos ponit, in § 4. haec nobis tradita sunt: „Non una uia semper ne tota quidem incurrit.“ Uoculam „tota“ prorsus locum hic non habere nemo non concedet. Adscripsi olim in margine exemplaris mei „ne *no*ta quidem incurrit.“

Qua mutatione et sententia efficitur optima et ea quae statim secuntur „inuadit ualidissimos morbus eqs.“ bene congruunt. Alterum exemplum extat in ep. 94. paragr. 56: natura nos erexit ad caelum, atque ostendit nobis ortus occasusque solis, „tardos siderum incessus, si compares toti, citatissimos autem, si cogites quanta spatia numquam intermissa uelocitate circumeant.“ Parum recte haec mihi dicta esse uidentur. Quomodo enim, quaeso, sidera comparari possunt toti, quae totius membra ac particulae sint? Persuasum mihi est, Senecam scripsisse: tardos siderum incessus, si compares *soli* eqs.“ cfr. quaest. nat. VII. 26. in. „solis occursus speciem illis (stellis scil.) tarditatis imponit.“

Index locorum tractatorum.

benef. II. 7. pag. 30.
— II. 18. 6. p. 15.
— VI. 23. 5. p. 24.
— VI. 31. 8. p. 19.
— VI. 33. 3. p. 22.
— VII. 4. 2. p. 22.
de ira III. 20 ex. p. 27.
— III. 22. 5. p. 22.
quaest. nat. I. 14. 2. p. 33.
— 19. p. 30.
de clem. I. 13. 4. p. 15.
de const. sap. II. 2. 3. p. 16.
— IV. 2. p. 22.
de otio V. 6. p. 22.
de tranq. an. X. 4. p. 22.
ep. 68. 1. p. 15.
— 73. 6. p. 22.
— 89. 2. p. 22. 35.
4. p. 23.
29. p. 35.
— 90. 2. 5. p. 23. 30.
— 91. 4. p. 36.
9. p. 23.
13. p. 19.
— 92. 4. 5. p. 23.
8. p. 24.
18. p. 16.
24. p. 19.
— 94. 2. p. 26.
26, 30, 40. p. 23.
ep. 94. 43. p. 24.
56. p. 15.
— 95. 59, 63. p. 23.
60. p. 27.
— 97. 8, 9. p. 23.
— 99. 29. p. 23.
— 101. 10. p. 35.
14. p. 36.
— 102. 6. p. 23.
29. p. 35.
— 104. 20. p. 23.
— 105. 6. p. 35.
— 107 ex. p. 33.
— 108. 8. p. 35.
20. p. 22.
— 109. 10. p. 35.
12. p. 15.
— 113. 2. p. 30.
23. p. 23. p. 24.
— 114. 7. 8. p. 24.
8, 16. p. 35.
— 118. 5. p. 24.
— 119. 6. p. 19.
15. p. 22.
— 120. 4. p. 24.
— 121. 2. 5. 8. p. 24.
6. p. 22.
21. p. 19.
— 123. 8. p. 19.

Deprehendi in his plagulis pauca male descripta, quae rogo ut beneuole corrigas. Sunt autem haec:

pag. 4. lin. 10. scrib.: complexum
pag. 5. lin. 31. scr.: uiderentur
pag. 8. § 1. ***consummendam*** AB.
pag. 10. lin. 20. scr.: ***ostrea,echini,sponduli,mulli*** s. m.
— 21. scr.: (ı a m. rec. an ***s***?)
pag. 14. lin. 31. scr.: spero
pag. 15. lin. 8. scr.: iniuria
— 18. scr.: commemorantur
— 21. scr.: substantiuum
pag. 16. lin. 8. scr.: adiecta, alius
pag. 19. lin. 25. scr.: uoluptas
pag. 20. lin. ultima scr.: mirandum
pag. 21. lin. 22. scr.: nominatiuum.
pag. 22. lin. 1. scr.: coloresque
pag. 24. lin. 25 in. scr.: elucet," manifestum
pag. 25. lin. 5. scr.: repellendum
pag. 26. lin. 26. scr.: scribamus
pag. 27. lin. 17. scr.: decretane
— 30. scr.: sceleris

Quam proposui coniecturam p. 24. „sic licet uideas" eam iam Haasio placuisse me fugerat.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 096 660 0

MAR 30 1875

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 096 660 0